DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

MATUTINIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS IN PUBLICIS MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS, PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.

PRÆSIDE M. PETRO DU MEZEREY, DOCTORE MEDICO, PROFESSORE REGIO.

An aspectus mulieris menstruatæ malignus? 39

QUISQUIS prævià quâvis opinione solutus cum homine mulierem æquâ lance ponderarit, eam ipsi à supremo omnium conditore Deo proximè similem factam intelliget. Illa quidem simili decorata mente percipit, judicat, ratiocinatur; simili donata corpore dissipabili statis horis alimenta expetit, quæ in chylum mutata per ductum thoracicum ad cor perreptant, sicque sanguini suppetias ferunt, deperditumque instaurant. At post mortem si mulieris corpus operi anatomico subjiciatur detectâ eâdem ferè corporis structurâ, detectis iisdem quibus ad totam subjecti compagem humores deferuntur Canalibus, evolutis omnibus intestinis, rectum inter & vesicam tanquam inter duo pulvinaria pars quædam media, sexui propria, pro ætate, temperamento, libidinis usu, corporis proceritate, fœtura, aut sterilitate, modo major, modo minor, modo crassior, modo exilior secantis oculis sese dat conspiciendam. Hanc totam subeunt arteriæ, venæ, nervi, vasa lymphatica, tubæ fallopianæ. Arteriæ & nervi liquores huic fovendæ, conservandæ, & aliis functionibus obeundis idoneos advehunt, quos venæ & vasa lymphatica exceptos tum ad cor, tum ad Receptaculum Pecquetianum revehunt: tubæ demum ab ejusdem lateribus aliquid aliud præstituræ ascendunt. Tandem ut corporibus exterioribus sit pervia, partes veluti ministras habet: quæ prior occurrit rima dicitur, hanc vagina subsequitur; orificium denique prioribus superpositum & veluti præ foribus extraneis aditum, hospitibus verò exitum largitur.

QUI à supremo hujus Microcosmi protoplaste Deo hanc partem tam concinnè fabrefactam fuerit contemplatus, eam in infimum licet locum relegatam, utilissimam tamen & operi, si aliàs usquam, nobilissimo dicatam esse intelliget. Magnus quidem ille Prometheus cùm hominem post admissam culpam ex principiis mutuâ luctâ in sese pugnantibus futurum animadverteret, viros & mulieres his partibus instructos esse voluit, quibus mortui licet in nova sobole continuò reviviscerent. Pars ergo illa novæ sobolis principium excipit, exceptum fovet, & in actum suscitat. Ut fœtus ex illo principio evolutus sensim cresceret, chylus unà cum sanguine arteriis delatus, continuò in hoc-ce generis humani conceptaculum delabitur; ex illo per glandulas quasdam huic parti adnexas percolatus, à vasis umbilicalibus per placentam dispersis excipitur; ex iis vel continuò ad jecur defluit, ex quo per cavam in cor, & ex corde in totam subjecti compagem dispertitur; vel in amnion illius succi veluti cisternam deponitur, ex eoque per os in ventriculum tum pondere, tum Musculis œsophagi comprimentibus descendit, in eoque rursus fermentatus communem chyli tramitem ingreditur, in ipsiusque alimoniam per totum imprægnationis tempus concedit, donec tandem vitæ solitariæ pertæsus repetitis calcitrationibus Conceptaculi mœnia perfregerit, dilatatisque tum auræ, tum alimenti liberioris causâ pudendorum locis, ad has-ce visibiles mortalium oras appulerit.

POST onus depositum ad alterum usque imprægnationis tempus pars illa tanquam muta aut ferians spectanda non est: qui enim Medicinam vel à limine salutarit, eam mulierem à plethora, sexcentisque aliis morborum generibus liberare non ignorabit. Pars prædicta ut faciliùs munus exequeretur, præsentissimumque foret sanguini, præ nimia humorum copia vapescenti, remedium, ineâ, natura rugas sulcorum in morem excavatas cælavit, in quas, partes salis è sanguine, & aliis corporis liquoribus deciduæ sese impingunt, ibique tandiu cespitant, donec fermenti naturam adeptæ, motu tandem particularum inæquali & turbulento motæ, totam uteri substantiam in fervorem agant, sicque tubulorum membranaceorum oscula in uteri cavum hiantia reserent, quibus reseratis, sanguis tum in his tubulis, tum arteriis capillaribus contentus hoc fermento subactus, divisus, explicatus proprio pondere in illius partis cavitatem decidit, ex hac splendens, rutilus, illi, qui aut per nares, aut è sectâ-venâ profluit simillimus, sensim dilatato uteri orificio, & comprimentibus vaginæ fibrillis, foras protruditur: partes vero prædicti fermenti subtiliores & motu citatiori concitæ, per venas in hanc partem discurrentes ad cor deferuntur, ex quo per arterias, tum ascendentes, tum descendentes ad omnem usque corporis circumferentiam sanguinem comitantur, ipsumque in pristinum fluorem restituunt.

HIS ergo subtilioribus fermenti uterini particulis adjutus sanguis tota morborum agmina impetit, ipsaque (viribus superior) turbatis velut ordinibus cogit recedere. Sed si forte fortunâ eædem sanitatis & fœcunditatis principes moleculæ à crassioribus quibusdam, iisque heterogeneis corporibus ita involvantur, irretianturque, ut sese à compedibus extricare non possint, aut saltem defessæ & inertes remaneant, præter indubitatam morborum segetem mulier adhuc ad suscipiendam prolem inepta evadit; si enim, inquit divinus senex, mulier menstruâ careat purgatione, utero non concipit: partes enim muliebres ut ipsemet hujus sententiæ lucifer Sponius declarat, conceptioni destinatæ humore dulci roridoque non irrigatæ siccescunt, & detumescunt, seminique masculino recipiendo ineptæ fiunt; veluti terra viventium aliàs fœcunda parens solitis imbribus privata, iners, sterilisque gleba fit. Sanguini itaque dulci, rorido, splendenti, victimæ simili, ex alimentis parato, à corde cum reliqua liquoris compage in hanc partem vibrato, eorumdem spirituum ac fermentorum cum superstite alio coheredi, præsentem sanitatem conservandi, amissam restituendi, fœcundandi demum vis concessa, quam ætate aut alio quovis casu penitus deletam, quavis arte reparabilem, nemo hujus-ce periodicæ purgationis gnarus existimet.

FACESSANT ergo illi qui somniantium deliriis obcœcati sanguinem illum pravis adeò qualitatibus donatum asserunt, ut si quæ floribus, fructibus, vino, cæterisque præter naturam evenerint, ea omnia mulieri menstruorum fluxum patienti tribuere nequaquam dubitent. Sed ubi mens? ubi cogitatio? ubi concilium? suam ne sanguis in utero deponit indolem, ut venenatam induat? sed si corporibus heterogeneis imprægnatus alienam induat, tum mille modis vexatur uterus, statimque mulier è sanitate deturbata tamdiu languescit, donec impuro purus sanguis successerit; sed quid plura? num si is à balsamica deflectat natura statim humano generi, vitæ dispendium minabitur? quomodo enim uterus sentinæ officio fungi, & fœtum adhuc nascentem, & ovo quasi circumscriptum retinere ac fovere posset? num brevi potiùs corrumperet? quin & conceptum fœtum ullo nisi impurissimo variisque sordibus inquinato nutriret alimento, & consequenter ipsum brevi perimeret. Quid ergo hæc commenta in communi totius vulgi, quin & doctissimorum quorumdam virorum sermone tanquam certissima, & veluti è tripode dicta venditantur? forsan quod in quibusdam Cacochymis salinæ sanguinis particulæ, ob longiorem in tubulis membranaceis moram, fluorem adeptæ, tantum liquori acorem communicarint, ut in posterum non solùm uterum & vaginam roderent, sed & quæcunque obvia veluti tabo inficerent. Sed cum impræsentiarum de integra sanitate utentibus sermo habeatur, hujus thesis conclusio in propatulo est?

Ergo aspectus mulieris menstruatæ non malignus?

Has Theses proponebat LUDOVICUS BOUTRY, *Abrincensis, Artium Magister, die Veneris 7. Maii; A. R. S. H. M. DCC. ab 8. matut. usque ad meridiem.*

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.